

40. Nulla à natura homini inest propensio ad sui cum DEO
reduntionem, Gen. VIII. 2. Rom. VIII. 7. *

41. Nulla ratione, homo sui abnegatione humilitate aut preci-
bus ad conversionem se præparare potest, ut divinarum Operatio-
num capax reddatur, 2. Cor. III. 12. Joh. XV. 5. *

DISPUTATIO XII.

De Lege DEI, ejusdemq; Divisionibus.

I. Peccatum non potest intelligi nisi ex lege. Et lex de-
bet præcedere Evangelium, tum in ordine docendi, tum in seriis
exercitiis pietatis.

II. Monachi transformarunt doctrinam Evangelii in legem :
Anabaptistæ finxerunt, Patriarchas de Evangelio nihil credidisse :
Antinomi crediderunt doctrinam Decalogi, sub N. T. nullum de-
bere habere locum : Libertini finxerunt, credentes non debere
ex Decalogo discere, in quibus bonis Operibus sit ambulandum :
Sed prout cuique Spiritus, (quem sibi fingebant) suggereret.

III. Distingvendæ igitur sunt significationes Legis. Usur-
patur I. pro vi, impetu seu efficacia movente & impellente. II.
Pro Universa doctrina divinitus patetacta. III. Pro Libris omni-
bus V. T. vel pro Libris Mosaicis : Vel pro libris illis Mosis, in qui-
bus lex descripta est. IV. Pro forma politicæ Mosaicæ, & Constitu-
tione sacerdotii Levitici. Item pro legibus ceremonialibus & pro
Judicialibus. V. Pro doctrina Decalogi, quando opponitur Ev-
angelio seu fidei. VI. Quando opponitur gratiæ significat rigorem
legis: qui in tribus consistit 1. exigit omnibus modis perfectissimam
obedientiam. 2. Nulli promittit vitam nisi sub conditione perfe-
ctissimæ Impletionis. 3. Omnes subjicit damnationi, in quibus
aliquid vitii potest accusare, sine *Immunitate*.

4. In Collatione Legis & Evangelii, in doctrina de justifi-
catione, D. Paulus tribuit legi quasi ignominiosas appellationes.
Quando vero per se, ut doctrina à DEO promulgata consideratur,
amplissimas habet appellationes.

5. Quæ variæ occurrunt in lingua Hebræa, Græca & latina.

6. Lex generatim dicta, est *doctrina divinitus tradita, conti-
nens regulam eorum, quæ Deus fieri voluit in suo populo; propositis
premiis*